

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Strabonis Geographicorum [geographicorum] Lib. XVII

Strabo

Basileae, 1539

[Initiale]

urn:nbn:de:bsz:31-67095

inquit, è Scotusa Thessaliæ. Est enim Scotusa urbs Thessaliæ Pelasgicæ. Conco-
mitatæ enim plurimæ sunt scæminæ, quarum è stirpe prognatæ sunt, quæ hac tem-
pestate prophetides diuinandi officium gerunt. Quo ex facto Pelasgicum uocari
Iouem insueuisse. Cineas autem longe maiores fabulas contextit.

Scotusa.
Propheides.
Pelasgicus Iup-
piter.

LIBRI SEPTIMI FINIS.

ARGVMENTVM OCTAVI LIBRI.

IN octauo continetur pars Europæ, in qua reliquum dicitur de Macedonia, tota
etiam exponitur Græcia, in qua pertractanda diutius immoratur, propter mul-
tam rerum nobilitatem & locorum, & neglecta & indiscreta penes historicos atq;
poëtas diligenter aperteq; describit, uti sint eius regionis urbes, ab Homero tam in
nauium dinumeratione, quàm per totam poësin, alijs multis in locis commemo-
rata.

STRABONIS

GEOGRAPHICORVM

LIBER OCTAVVS.



OSTQVAM peragratis occiduis Europæ regionibus que
interno & externo mari continentur, Barbaras etiam eius
nationes, usque Tanain uniuersas circuiuimus, & Græ-
ciæ partem nõ magnã cum Macedonia, nunc Græciæ de-
scriptionem reliquam absoluemus atque reddemus. Eam
Homerus quidem prior, dehinc alijs complures tractaue-
re. Quidam peculiariter uel portus, uel nauigationes, uel
circuitiones terrestres, uel tale aliquid descripserunt, in
quibus & Græcanicæ partes continentur. Quidam uero in communi historia-
rum conscriptione seorsum litoralium locorum demonstrationem literis ostende-
runt, quemadmodum Ephorus egit atq; Polybius. Aliqui autem ad naturæ lo-
cum etiam mathematica quædam assumpserunt huius generis, sicuti Posidoni-
us & Hipparchus. Cum igitur res aliorum recte iudicatæ sint, Homeri dicta cen-
soris animaduersionem postulant, atque indigent, cum poëticum in morem di-
cat, nec huius ætatis loca, sed & illa peruetusta, de quibus permulta obscurauit
ætas. Pro uiribus igitur enitendum, sumpto ubi desiuimus exordio.

Nostra uero ab occasu, ac septentrione ad Epiroticas gentes, ac Illyricas finieba-
tur oratio, ab ortu autem ad Macedonia populos usq; Byzantium. Post Epiroti-
cas gentes itaq; ac Illyricas Græcorum Acarnanes sunt & Ætoli & Locri cogno-
mine Ozolæ, secundū istos Phocenses & Bœotij. His autē obiecto pelago medio
Peloponnesus cõtra respondet, que intra mediū, sinum Corinthiacum accipit, illi
quidem formam exhibens, & ab illo uicissim formam capiens. Post Macedonia
uero Thessala natio est usq; ad Maleos & alios tam intra isthmum quàm extra, præ-
ter quos permultæ gentes fuere. Supra quidem tot sunt quot linguarum Græcien-
sium differentia nobis perceptæ sunt. Istas ipsas cum quatuor esse constet, Ionicã
eandem quam priscam illam Atticam asserimus, eius enim ætatis Attici Iones uo-

Acarnanes.
Ætoli.
Locri Ozolæ.
Peloponnesus.
Thessalia.
Linguarū dif-
ferentia apud
Græcos.
Attici.
Iones.